



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Thomæ Tamburini Societatis Iesu Siculi
Caltanisettensis, In Alma Vniversitate nobilis Civitatis
Messanæ, Theologiæ Primarij Professoris. Explicatio
Decalogi Duabus distincta partibus**

In qua omnes ferè conscientiæ casus, ad decem Præcepta pertinentes,
mira brevitæte, claritate, & quantum licet, benignitate declarantur

Continens sex Libros posteriores in Decalogum, id est, expositionem
præceptorum secundæ tabulæ

Tamburini, Tommaso

Monachii, Anno M.DC.LIX.

In concursu vitæ privatorum, n. 2.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39995

§. I.

Quando occurrunt bona temporalia proximi, & nostra.

1. Si aequaliter ego, & alter privatus (nam de Rep. mox) re aliqua indigeamus, mihi providere de ea possum, neglecto proximo; Ratio est, quia ordo Charitatis prior est, ceteris paribus, ad se, quam ad alium; hinc mea, & proximi vita extreme periclitante, si utrique nequeo, mihi sine ulla culpa consulere, absque dubio, possum.

In concursu vitae privatorum.

2. Difficultas est autem prima, quando inaequales sunt necessitates, agiturque de utriusque vita, ut si proximus privatus sit in extrema necessitate, tu in gravi; vel ille in gravi, tu in communi; vel ille in gravi, v.g. periculo mortis certo, tu in probabili; quisnam erit tunc praefendus?

Respondeo, te tunc non a teneri providere proximo, sed posse tibi; Ratio est, quia jus, quod habes ad tuam vitam, est tantum, ut quoties probabile est, illam offendi, tueri contra quemcumque eandem possis. Certè nimis arduum, & fragilitati hominum impar onus exigeretur, si exigeretur aliud. Dico (posse) nam an tunc liceat, te relicto, consulere proximo, tangam infra, lib. 6. c. 1. §. 1. n. 6.

a D. Tb. 2. 2. q. 26. art. 4. Cominch.
d. 25. de Charit. d. 6. nu. 79. Suar. de Charit. d. 9. sect. 3.

3. Illud est certum, in bonis, quae non teneris ex obligatione conservare, posse te proximo potius consulere, quam tibi; id enim munus est Charitatis: quare potes, pro bono proximi, tuas divitias profundere, si eas pro alimentis, seu legitima filiorum, vel pro reddendo aere alieno, vel simili, conservare non tenearis. Si ita inaequales sint necessitates, ut ad vitam proximi tuendam non quidem tua vita, sed fortunae bona tibi sint amittenda, an amittere tenearis, dicam numero 12.

In concursu vitae privati, & boni Republicae.

4. Difficultas est secunda: An extreme periclitante bono communi, seu Rep. seu Principe, necessario ad commune bonum ego tenear, hoc malum, etiam mea morte, avertere, si possum? Pro hac difficultate juvat, duorum recentiorum diversimodè sentientium doctrinam hic exscribere.

Ioannes enim Sanchez b sic habet. Imo nec ob conservandum bonum commune astringi quem, propriam exponere vitam, reor; est namque jus propriam tuendi vitam adeo strictum, quod à nullo jure conservandi alienam vinci possit. Miles vero murum occupare cum periculo vitae tenebitur, ratione pacti, & pecuniae acceptae, ut diximus disp. 10. num. 9. explicantes D. Thomam, quem usque modo credo, non fuisse à Doctoribus perceptum. Ex quo sequitur, non de vinci aliquem, Regem defendere, cum dispen-